Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

de huius suavitatis odor. Tanta autem lux cuncta ea loca perfuderat, ut omni splendore diei sive solis meridiani videretur esse perclarior. Erantque in hoc campo innumera hominum albatorum conventicula sedesque plurime hic agminum laetantium. Cumque inter medios choros felicium incolarum me duceret, putavi quod hoc esset regnum celorum de quo sepe audivi predicare. Respondit ille cogitacioni mee: Non, inquiens, est hoc regnum celorum quod vides. Cumque procedentes transissemus has beatorum mansiones spirituum, aspexi ante nos multo maiorem luminis gratiam quam prius, in qua etiam voces cantantium dulcissimas audivi. Sed et odoris miri fragrantia tanta de loco effundebatur, ut his quem ante maximum quasi rarum degustavi pro modico mihi odor videretur. Sic et lux illa campi florentis eximia in comparatione eius que nunc apparuit lucis tenuissima prorsus videbatur et parva. In cuius amenitate loci cum nos intraturos sperarem, repente ductor prestitit; nec mora gressum retorquens ipsa me qua venimus via reduxit. Cumque reversi pervenissemus ad mansiones illas letas spirituum candidatorum, dixit mihi: Scis que sunt ista omnia que vidisti? Respondi: Non. Et ait: Vallis illa quam vidisti flammis ferventibus et frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus in quo examinande et castigande sunt anime illorum qui differentes

A ii. Id. febr. runt confiteri et emendare scelera que fecerunt, sed in ipso tandem mortis articulo ad penitentiam confugiunt et sic de corpore exeunt. Qui tamen quia confessionem et penitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicii ad regnum celorum perveniunt. Multos autem preces viventium et elemosine et ieiunia maximeque celebratio missarum ut etiam ante diem iudicii liberentur adiuvant. Porro puteus ille quem vidisti flammivomum ac putidum, ipse est os gehenne, in quo quicumque semel inciderit nunquam inde liberabitur in evum. Locus vero ille florifer in quo pulcherrima agmina ac iuventute iocunditate fulgere conspexisti, ipse est in quo recipiuntur anime eorum qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen sunt tante perfectionis ut in regnum celorum mereantur statim introduci. Sed omnes in die iudicii ad visionem Christi et ad gaudia regni celestis intrabunt. Nam quicumque in omni verbo et opere et cogitacione perfecti sunt, mox de corpore egressi ad regnum celorum perveniunt. Ad cuius vicinia pertinebat locus ille ubi sonum cantilene dulcis cum odore suavitatis ac splendore lucis audisti. Tu autem nunc ad corpus reverteris et inter homines vivere debes. Sed si actus tuos curiosius discutere et mores sermonesque tuos in rectitudine ac simplicitate servare studueris, accipies post mortem locum mansionis inter hec que cernis agmina letabunda spirituum beatorum. Ego cum ad tempus abscessissem, ad hoc feci ut quid de te fieri deberet agnoscerem. Hec mihi cum dixisset, multum detestatus sum reverti ad corpus, delectatus nimirum suavitate ac decore loci illius quem intuebar simul et societate eorum quos in illo loco videbam. Nec tamen aliquid ductorem meum rogare audebam. Sed inter hec nescio quo ordine repente me inter homines vivere cerno. Hec et alia que viderat idem vir domini non hominibus passim desidiosis ac vite sue incuriosis referre volebat, sed illis solummodo qui vel tormentorum metu perterriti vel spe gaudiorum perhennium delectati profectum pietatis ex his verbis haurire volebant. Denique in vicinia celle illius habitabat quidam monachus nomine Hemgils presbyter et quem bonis actibus adequabat gradu preminens, qui adhuc superest. Hic sepius ad eundem virum ingrediens audivit ab eo que et qualia essent que exutus de corpore vidisset. Per cuius relationem ad nostram quoque agnitionem pervenit.

Passio Eulalie virginis et martiris:

In Barcilona civitate prima Spanie sub Datiano preside seva fuerat christianis orta tempestas. Iam enim beatissimus Vincentius primus ad martyrium processerat una cum episcopo Valerio glorioso. Tunc vero erat quedam virgo Eulalia annorum circiter tredecim mente et corpore casta, religione pudica, castitate sincera. Docebatur ergo a Donato quodam presbytero ut fateretur Christo potius quam negaret. Sed introeunte eodem Datiano preside Barcilonam civitatem, Donatus presbyter procul a civitate secesserat. Tunc Eulalia se presidi in faciem optulit. Que ait: Quid ingrederis urbem inimice dei excelsi? Quid persequeris christianos et nihil prode virgines queris? Deus meus me docet in veritate sua, non aufert a me castitatem meam, quare non seducis puberitatem meam. Datianus prefectus dixit: O infantula, antequam crescas florem etatis perdere queris. Eulalia respondit: Ego annorum tredecim sum. Sufficit mihi hec etas, quia alteram vitam futuram spero beatam. Datianus prefectus dixit: Ista te vanitas miseram non seducat. Accede sacrifica diis, quia postea honorari et sponsum fu